RUPERTUS TUITIENSIS
Österreich oder Süddeutschland, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 94r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26000
Copyright: Admont, Benediktinerstift





ego exaudiam et dirigam eum. et hic fructus eius ut scil. perueniat eo quo tendit.
ex me inuentus est. quia uidel. sine me nichil facere potest. et hoc ipse confitens. multum
carnali israeli dissimilis est. quia suam iusticiam statuere uolens. iusticie dei subiec
tus non est. Quis sapiens et intelliget ista. intelligens et sciet hec. Hunc uisiculum
ab exordio uoluminis semper pre oculis habuimus. et idcirco semper scripturam hanc
tamquam uere celestis thesauri clausam uenerantes thecam. nichil condignum nos
effari posse perspeximus. siue aliquem quicquam ille sit. nisi cui aperire dignatus sit sanctus
et uerus. qui habet clauem dauid. qui aperit et nemo claudit. claudit et nemo aperit.
Si enim ipse. qui scripsit. uel difficile. uel impossibile confitetur intelligere et scire hec.
quid nos facere possumus. qui lippientibus oculis et peccatorum sordibus obscuratis. cla
rissimum uibar solis non possumus intueri. Verumtamen quecumque illa sint que ad
huc clausa non latent. quantulacumque illa sint que exinde nos intelligere uel sci
re potuimus. dicamus tamen cum ipso in conclusione id quod uerum est. Quia recte uie
domini. et iusti ambulabunt in eis. preuaricatores uero corruent in eis. Uie domini de quibus
maxime in hoc propheta tractatur. illa sunt iudicia domini. uere incomprehensibilia. quibus aui
deis recessit. et ad gentes transiuit. In istis uiis iusti ambulant. exempli gratia.
paulus apostolus uas electionis. qui quamuis dolore continuo doleat pro eisdem fratribus
suis. nichilominus tamen rectas confitetur uias domini. et dicit. O altitudo diuitiarum sa
pientie et scientie dei quam incomprehensibilia sunt iudicia eius. et inuestigabiles
uie eius. Preuaricatores uero maxime iudei corruunt in eis dum se iustificant
et ueritati resultant. inuidentes gentium saluti. Animaduertimus quippe maxime
ex hoc propheta sicut suo iam loco diximus conuinci. non minus illos quam gentes pec
casse. et indiguisse gratia dei. quod apostolus ad romanos scribens uehementer affirmat. di
cendo. eadem enim agis que iudicas. Deniq; super hoc septies sicut nos distinxi
mus. in isto conuincitur propheta. quia uidel. septies peccata illius populi replicans.
per singulas uices in gratiam uel aduentum xpi recurrit. cuius solius fides omnem hominem
tam iudeum quam gentilem iustificat. Unde illud quod populo preuaricatori mo
yses imprecatur cum dicit. tradet te dominus corruentem ante hostes tuos. per unam
uiam egredieris contra eos. et per septem fugias. iniusta quoque quamuis breui
scriptura delectabiliter spectari potest. ubi preuaricatores iam dicti semetipsos
iustificantes. conuincuntur repeticione septemplici. atque ita corruunt sep
t i e s.

Explicit in Osee liber quintus. Incipit prologus explanationum in
Iohel prophetam.